dominus exercituum. Ego tuli te
de pascuis sequentem greges ut esses
dux super populum meum israel. et fui tecum
in omnibus ubicumque ambulasti. et
interfeci universos inimicos tuos a fa-
cie tua. fecique tibi nomen grande iuxta
nomen magnorum qui sunt in terra.
et ponam locum populo meo israel. et
plantabo eum et habitabit cum eo. et non
turbabitur amplius. nec addent fi-
lii iniquitatis ut affligant eum sicut
prius ex die qua constitui iudices super
populum meum israel. et requiem dabo tibi
ab omnibus inimicis tuis. predicit-
que tibi dominus quod domum faciat
tibi dominus. Cumque completi fue-
rint dies tui et dormieris cum patribus
tuis suscitabo semen tuum post te quod
egredietur de utero tuo et firmabo reg-
num eius. ipse edificabit domum nomini
meo et stabiliam thronum regni eius
usque in sempiternum. ego ero illi in pa-
trem et ipse erit michi in filium. qui
si inique aliquid gesserit arguam eum
in virga virorum et in plagis filiorum
hominum. Misericordiam autem meam
non auferam ab eo sicut abstuli a saul
quem a facie mea. et fidelis erit domus
tua et regnum tuum usque in eternum
ante faciem meam. et thronus tuus
erit firmus iugiter. Secundum
omnia verba hec et iuxta universam
visionem istam sic locutus est na-
than ad david. Ingressus autem est
rex david et sedit coram domino et
dixit. Quis ego sum domine deus
meus et que domus mea quia ad-
duxisti me huc usque. sed et hoc parum
visum est in conspectu tuo domine
deus meus quia dilexisti me nisi et

loquaris de domo servi tui in lon-
ginquum. Ista est enim lex adam
domine deus meus. Quid ergo ad-
dere poterit adhuc david ut loqua-
tur ad te. tu enim scis servum tuum do-
mine deus. propter verbum tuum et secundum
cor tuum fecisti omnia magnalia
hec ita ut notum faceres servo tuo.
idcirco magnificatus es domine deus
quia non est similis tui neque est deus
extraneus in omnibus que audi-
vimus auribus nostris. que est enim
gens ut populus israel in terra. propter quam
ivit deus ut redimeret sibi in populum
et poneret sibi nomen. faceretque ei
magnalia et horribilia super terram a fa-
cie populi tui quem redemisti tibi ex
egypto gentem et deum eius. et confir-
masti tibi populum tuum israel in populum sem-
piternum. et tu factus es ei in deum.
Nunc ergo domine deus verbum quod
locutus es super servum tuum et super
domum eius suscita in sempiternum
et fac sicut locutus es et magnifice-
tur nomen tuum usque in sempiternum
atque dicatur. dominus exercituum deus
super israel. et domus servi tui david
erit stabilita coram domino quia tu
domine exercituum deus israel revela-
sti auriculam servi tui dicens. domum
edificabo tibi. propterea servus tuus cor
suum ut oraret te oratione hac. Nunc
ergo domine deus tu es verus deus
et verba tua erunt vera. locutus es
enim ad servum tuum bona hec. Incipe
igitur et benedic domum servi tui. ut
sit in sempiternum coram te. quia tu do-
mine locutus es hec. Et benedictione
tua benedicetur domus servi tui da-
vid usque in sempiternum. Amen.